

PRAEFATIO

Hac aetate, cum magna et magna magis mutua vicissitudo externarum rerum ac animi bonorum, cum commercium magis magisque procedens existunt, variae versiones in varias directae partes necessariae sunt. Quibus desideriis ut satisfaceret, Institutum lexicographicum Iugoslavicum «Miroslav Krleža» proposuit sibi Dictionarium encyclopaedicum octo linguarum (DEOL) condere cum columna, ut vocatur, exeundi constante ex circiter septuaginta milibus lemmatum Croaticae sive Serbicae linguae, quae lemmata in septem linguas vertuntur, quod in omnibus octo linguis sescenta fere milia unitatum lexicalium explet.

DEOL tres linguarum complexiones complectitur: Slavicam (Croaticam sive Serbicam et Russicam), Germanicam (Anglicam et Theodiscam), Romanicam (Francogallicam, Italicam, Hispanicam) cum Latina.

Lexicon divisum est in duas partes. Pars prior, composita ex lingua originis cum versionibus in linguas peregrinas in serie quinque librorum, quorum unusquisque ad quindecim milia unitatum lexicalium columnae exeundi continet seu circiter centum viginti milia unitatum in peregrinas linguas versarum. Pars posterior, quae formam unius et conclusivi sexti voluminis habet et constat ex completo indice alphabetico omnium linguarum peregrinarum, qua re peculiare ac valde idoneum lexicon multilingue efficitur, quod accomodatarum ope notarum et signorum cum priore parte coniunctum est.

Ad confectionem operis convenienter accelerandam et accurationem quam maximam adipiscendam DEOL nostrum electronica datorum tractatione adiuvante Centri informatici universitatis Zagabiensis (SRCE) exsequitur.

In columna originalis linguae condenda imprimis usi sumus materia editionum, quae in Instituto »Miroslav Krleža« conservatur, eiusque documentationis lexicographicae, praeterea excerptionibus factis ex usitatis fontibus, ut puta lexica Academiae scientiarum et artium Slavorum meridionalium et Academiae scientiarum et artium Serbicae atque multa artis compendia lexicographiae recentioris in Socialistica foederativa re publica Iugoslavia ortae. Non solum instituti socii, sed etiam multi externi operis socii in hoc lexico DEOL efficiendo intersunt, sive ut interpretes sive ut moderatores linguarum singularum.

Lemmata columnae exeundi **Croaticae sive Serbicae** linguae normam et regulam linguae in Socialistica re publica Croatia usitatae potissimum sequuntur, vario et diversae straturae sermonis thesauro comprehenso: quae omnia faciliorem facere debeant lectionem, cognitionem, translationem textuum, qui exorti sunt his centum saltem annis atque per latius spatium se extendendae dialecti, quae stocavica vocatur.

Dictionarium, quod non remittit progressum historicum et latiore contextum socialem (propterea quod tractat notiones ad cultum atque humanitatem, litteras, scientias, industriam quaestuosam pertinentes, quae notiones quibusdam prolationibus ex linguae praeteritis atque usu extra normam adhibito neglectis in totum intellegi non possunt), permultas quoque pristinas, ad regionem dialectumque pertinentes, populares voces et locutiones necessario affert, artis insuper, quae vitari non possunt, locutiones omnium gentium permultasque notiones ad artem gymnicae, oblectamentum, instrumenta communicationis socialis pertinentes.

Ob varias rationes historicas, ad cultus historiam pertinentes, linguisticas lingua nostra non parvas centesimas vocabulorum peregrinorum et verborum mutuatorum numerat, quae

vel in eis utuntur notionibus, ad quas exprimendas verba vernacula alio modo existunt. Circiter septuaginta milia vocabulorum huius aetatis linguae in libris, actis diurnis, commercio publico usurpantur; quorum vel dimidia fere pars diversi generis vocabula externa sunt. Alia externa vocabula et necessaria sunt et substitui non possunt; alia vero substitui possunt et substituantur. DEOL nostrum aufert omnia peregrina verba, quae in commercio sunt. Spatii vero parcendi causa – ut ambiguitas inutilis etiam in versionibus caveatur – atque sequendo normam et regulam loquendi usus in Socialistica re publica Croatia usitata, externa vocabula, quae penitus vernacula facta sunt seu substitui non possunt, directe vertuntur, et praeterea, ubicumque fieri possit, etiam substitutio vernacula in parenthesi ut synonymum affertur; ubi autem locutio vernacula existat, lector ad eam remittitur, ubi vocabulum externum, quod tractatur, plures habeat significationes, eae, quae verbo vernaculo substitui non possunt, directe vertuntur; si autem substitutio probanda existit, ad eam lector remittitur. Quo modo spatio parcitur et civitas quaedam vocabulis vernaculis Slavicae originis tribuitur, quae magis perspicua et probanda plerumque sunt quam verba obscura fere peregrinae originis.

Vocabulorum externorum tractatio uno ex his quattuor modis efficitur: 1) versione directa (e. g. *realizam, filozofija*); 2) signo directo (*aneks* → *dodatak*, → *prilog*); 3) versione et signo (*aludirati* – a) *činiti aluziju*, b) → *natuknuti*); 4) versione cum dimorphemate ut synonymo (*anemometar/vjetromjer/*).

Materia, quae hic colligitur, ita tractatur, ut apparatu graphico quam minimo ac strictissimo adhibito quam plurima exacta argumenta offerre possit. Pars incipiens Croatica sive Serbica intra se describendi modo formatur sine linguae praescriptis. DEOL igitur descriptivum, non normativum lexicon apparet. Hoc spectat, ut describendo huius aetatis linguam complectatur. Qua re sane non privari potest historica ratione, si historia in loquendi genere huius aetatis viget. Quod indicat omnes textus, tam scholasticos quam scientificos, tam calendaria ad Motum Illyricum spectantia quam instrumenta communicationis socialis ad hanc aetatem pertinentia comprehendere debuisse.

Complectendi erant: 1) sermo cotidianus, aliqua ex parte etiam argoticus sermo; 2) omnia verba artis educandi ac disciplinae propria; 3) artium vocabula, cum artificiorum antiquitus traditorum tum rochetarum technicae, informaticae, cyberneticae, praeterea varietas valde evoluta singulorum ambituum ad humanitatem pertinentium (studia laographica, religio, ius, res politica, sociologia, philosophia).

Comprehenditur magnus quoque numerus nominum propriorum atque nominum notiorumque ad geographiam pertinentium, itaque DEOL nostrum consistit: a) in lexico principali, b) in abundantii artium glossario, c) in nominibus.

Sic constituitur notionum typologia, quae non solum recentiora verba pluribus gentibus communia verbaque novata continet, sed etiam permulta verba Balcaniae propria, Graecanica, Turcorum et Arabum propria, Germanicarum atque Romanicarum linguarum propria, non vero eo consilio, ut condatur historicum vel etymologicum lexicon, sed hoc animo ut conficiatur explicatio quam amplissima sermonis cotidiani in hoc terrarum orbe, qui magis magisque communicatione ac informatione universali indiget.

Columna exeundi sic concepta tum demum formatur, cum opponitur columnis aliarum septem linguarum, a Russica usque ad Latinam, et in hoc parallelismo contrastivo permulta elementa communia se ostendunt, quibus nostra lingua litteraria coniuncta est cum tota sese exprimendi ratione Europaea, quae hodie totius mundi commercio loquendi fungitur (de sescentis enim europaeismis, qui omnibus gentibus communes facti sunt, agitur), sed differentiae quoque clare apparent, quae nostrae linguae peculiarem naturam historicis condicionibus astrictam constituunt.

Appropinquatio in lexicographica tractatione iam usitata hic computatro adiuvante ad minimum redigitur, signa autem inter se referentia convenienter coniuncta esse et utroque inter se congruere debent.

Russica lingua prima est, quae columnam Croaticam seu Serbicam sequitur, idcirco ut propinquitas et necessitudo Slavici thesauri intra verborum supellectilem contra linguarum complexiones Germanicam et Romanicam monstrentur. Quo modo facilius fit recognoscere

ac persequi similitudines et differentias existentes inter nostram et illam maximam Slavorum linguam, a qua non parvus numerus vetustiorum et recentiorum mutationum ortus est. Sunt verba progressu propriae traditionis culturalis acquisita, quae non facile in aliam linguam transferri possint, praecipueque frequenter in usu loquendi administrationis, institutorum artis historicae, ordinum collegiorumque religiosorum et militarium prodeant.

Similes difficultates etiam in verbis locutionibusque, qui stilistice notati sunt, convertendis occurrunt. Propter naturam translationis talia verba notata saepe mediorum verborum ope vertenda sunt. Praeterea pars phrasematum non contemnenda, quia orta ex loco patrio, necessario caret aptis substitutionibus in alia lingua. Nihil aliud nisi consensio semantica ut ultima superest ratio, etiamsi significationis stratura associativa dimittatur.

Russica lingua multa propria etiam in syntaxi finxit. Convenientia rectionis vocabulorum Russicorum cum locutionibus, quas columna exeundi imperat, aliquando in exemplis ad usum adhibitis tantum impetrari potest. Differentiae structurales inter duas Slavicas linguas apparentes saepe in elocutionibus attributivis occurrunt. Ad nostra adiectiva exprimenda apta forma in Russica lingua non semel deest. Quam ob causam solutionis loco genitivus nominis substantivi respondentis praebetur. Similia in adverbis nominibusque deminutis ac auctivis eveniunt. Nempe Russica lingua adverbialibus et auctivis locutionibus multo minus utitur; itaque pro eis nonnumquam descriptiones afferuntur. Deminutiva autem in Russica lingua multo latius extenduntur; quae res eis diversum locum in linguae systemate concedit depravando pertinentem significationem in translatione directa quodam modo.

Anglica lingua Americanam quoque complectitur. Quamvis unitas praecipua Americae et Anglicae linguae procul dubio existat, enisi sumus, ubicumque necessarium et usitatum est vel fieri potest, designare, quid inter usum Britannicum (B) et Americanum (A) differat.

Quamquam vincula inter loquendi unitatem Angloamericanam et nostram sermonis complexionem ad tempus recentius perveniunt, tamen magna sunt (quantumcumque in unam directa partem), ita ut hodie apud nos in sesenta diversissima mutuata vocabula incidamus potissimum ex lingua Anglica oriunda, quae, quicumque nostro DEOL utitur, facile animadvertet, praesertim in directis substitutionibus plurium verborum peregrinorum mutuatorum. Qua in re sane lexicographus nihil praescribit, describit tantum, numquam fere damnat, sed designat modo locos et libramenta significationis et usus.

Certorum verborum numerus Croaticae sive Serbicae linguae, magnus quoque numerus verborum peregrinorum (europaeismorum vel omnium gentium propriorum) non operose in Anglicum convertitur. Quod magna ex parte etiam ad permulta recentissima artis vocabula attinet. Difficultates tum demum recte apparent, cum ad exprimentas notiones vitae studiorumque popularium nostrorum, historiae nostrae, culturae regionibus obtingentis, florum ac faunae aequationes Anglicae afferendae sunt. Interpretibus tres facultates hic suppetebant: 1) directa substitutio unius vel plurium membrorum, 2) vox vel locutio proximate (quae magna ex parte significationem dati lemmatis obtegunt), 3) quam brevissima interpretatio descripta. Etiam in versione Anglica omnes tres facultates usurpantur, attamen interpretes et moderatores id agebant, ut tertia facultate quam minime uterentur.

Ex digestionem columnae exeundi plerumque pendens, **Theodisca** lingua hic usum loquendi «aureae mediocritatis» affert, in quo locutiones ex argotico sermone oriundae, fortia verba obscena vel mera turpiloquia maximam partem omittuntur, quamquam nec verborum supellex inferiorum usus libramentorum evitatur. Simili modo in Theodisca ut lingua, quae dicitur, destinati (scopi) etiam informationes grammaticae minutius explicatae omittuntur exceptis illis lexicographica ratione necessariis. In substantivis tantum genus indicatur, in verbis autem indirectis rectio (*jds.* vel *jdm.* adiuvantibus). Nec Theodisca lingua interpretum difficultates effugere hic potuit, in quas et aliae linguae incurrunt: ambiguitatem conturbantem in versione ampliore contextu carente; versiones verborum peregrinorum, quae in speciem eadem vel similia sunt, habentes tamen diversum argumentum, diversam significationem et usum in duabus linguis.

Cum inter vertendum in Theodiscum de duabus agatur linguis, quae valde similia culturae atque historiae praeterita habeant, certus numerus civilitatis ac technicae locutionum ex una lingua in aliam sine ulla difficultate transfertur. Quod procul dubio excipiunt

perspicui localismi vel notiones coniunctae cum diversa culturae seu vitae ratione, ut Musulmana vel Mediterranea. In eiusmodi casibus plus explicabatur quam vertebatur.

Cum autem in lemmatibus columnae exeundi areae verborum locutionumque usus denotentur, eorum versiones in Theodisco non praesertim significantur. Quin etiam apud innatas locutiones regionis alicuius proprias recentiori tempore peculiare denotationes evitantur, ut quam maxime idoneus efficiatur usus omnium vocabulorum et locutionum neglecta eorum origine locali seu dialectali.

Vertendo in linguam **Francogallicam** ordinem in lexicis Francogallicis adhibitum tenebamus proficiscendo ab elementis lexicalibus libramenti colloquialis, transeundo sermonem vulgarem usque ad argoticum. Ad explendam, quae fieri possit, aequationem nec a verbis, quae ratione stilistica sordida vel obscena existimantur, nos abstinuimus. In eis verbis nostris, quae sive per se sive per quendam valorem suum ad usum pertinentem in numero artis et scientiae vocabulorum sunt, operam in respondente usus congruentia posuimus, quod non semper fieri poterat, praesertim cum nostra zoologicae artis vocabula, quae aequationem in Francogallico non habent, aguntur.

Ratione habita diversitatis inter nostram et Francogallicam syntaxim aliquotiens difficultates habuimus inveniendi aequationes in exemplis transferendis. Quam ob rem in huiusmodi causis binas solutiones communiter obtulimus: in alia conati sumus praescriptum exemplar imitari, in alia vero nisi sumus, ne a natura linguae Francogallicae longe abessemus. Simili modo etiam phraseologiam tractavimus.

In memoriam redigimus peculiare quaestiones grammaticales cum toponymis conexas. Partim de usu vel de dimissione articuli grammatici cum de nominibus insularum, montium, civitatum cogitamus. Cum haec quaestio lexicis ope solvi non possit, reicimus ad enchiridia grammatica. Alia autem ex parte usus generis grammatici apud nomina urbium incertus est. Quam ob causam ad talia toponyma notam utriusque generis Francogallici adiecimus, simul vero hic admonendo, neglecta nominis forma, in usu genus femininum praevalere.

Italica lingua ea certo est, quam post classicas longissime iam a priore Medio aevo attigerimus. Permulta verba mutuata (praesertim in Mediterranea parte populi, historiae, litterarum nostrorum) sine dubio huius rei testimonium sunt. In translatione talis verborum suppletilis nullae difficultates occurrunt; immo vero in huiusmodi casibus sine ullo dubio exemplo fiunt et confirmantur necessitudines, mutationes, similitudines, sed quaedam quoque diversitates, ut apparent in receptionis dissimilitudine latioris Mediterranei vel Europaei complexus.

In convertendo in Italicam linguam materia lexicalis huius aetatis affertur. Quod etiam de phrasematum versionibus dici potest. Solum in casibus eximiis, cum adaequatio semantica pro verbo obsoleto afferenda erat, etiam in versione nonnulli archaismi usurpantur.

Si scientiae vocabula ad artes botanicae, zoologiae, medicinae et sim. exprimendas in Italico desiderantur, qui legit quaeret ea in Latina dictionarii parte.

Genus grammaticum nominum Italicorum **m** aut **f** designatur. In infinitivis verbalibus substantivi loco usitatis articulus ipse genus denotat (e. g. skakanje – *il saltare*).

Vocabula Italica accentu tum distinguuntur, cum eorum usus regulis orthographiae praescriptus est, et quidem: a) in verbis bisyllabis et polysyllabis, quibus syllaba ultima accentu notatur, e. g. *la città, altresì, il sopra più*; b) in quibusdam verbis monosyllabis: *là, sì, più, il tè*.

Inter magnas orbis terrarum linguas **Hispanica** lingua, ratione directorum contactuum habita, longissime a nostra linguae temporumque ratione abest, quia inter eius et nostrum litterarum atque linguae universum nulli directi contactus, ut sunt cum aliis Romanicis linguis, exsistebant, quamquam sescenti nostri viri vitam agunt et laborem exercent in area Hispanicae linguae, praesertim in finibus Americae Latinae. Insuper disseminatio linguae Hispanicae super aliquot continentes, unica linguae norma penitus absente, interpretibus difficultatem affert, cum nostras linguae formas et argumenta in aream tam compositam et prorsus fere novam transferre cupiunt. Moderator Hispanicae linguae (interpretibus comitantibus), ubi directae substitutiones historicismorum, folclorismorum vel ad regionem pertinentium verborum desiderantur, studebant sive significationes descriptas sive substitutiones appropinquatas afferre, Hispanica afferendo vocabula, exempla, locutiones ex omni-

bus maioris momenti centris Hispanici sermonis a Castilia usque ad Argentinam, et Mexicum et Philippinas. Per se intellegitur catervam interpretum multis lexicis adiacentibus usam esse, adiumentis quoque adhibitis bilinguibus compendiis ad Romanicam, Germanicam, Slavicam aream pertinentibus, praesertim in vocabulario artificiorum singularium, scientiae, technicae. Ad errores et indiligentiam evitandos (pendentes ex genetico conexu Hispanicae linguae cum aliis), vitabantur perspicui gallicismi, italicismi sive latinismi analogici; quod non sibi velit in partibus Romanicis huius dictionarii propinquitatem et necessitudinem Hispanicae linguae non ostendi ac non confirmari cum reliquis Romanicis, quod sane intra omnes eas faciliorem facit intellegentiam ac translationem informationum utilitatem afferendo cum artis indagatori tum eis qui compendio practico modo utuntur.

Gratae sunt et linguisticae exstare possunt coniunctiones nostrae linguae cum Hispanica in elementis culturae Arabicae, quae non parva vestigia et in Hispanica lingua et in linguis Balcanicorum atque nostrorum populorum reliquerunt, quae facile perspicientur etiam in versione in Hispanicum multorum nostrorum arabismorum, ubi et lingua scopi (destinati) vocabula Arabicae originis seu notiones Musulmani orbis culturalis servaverit.

Nimirum in transferendis nostris linguae, litterarum, culturae, geographiae, populi artis ac studiorum perspicuitatibus saepius interpretibus utendum erat appropinquatis substitutionibus vel quam brevissimis interpretationibus, ut in verbis ad artificium, zoologiam, botanicam pertinentibus, etsi in vocabulis ad floram et faunam pertinentibus etiam facultas vertendi adiuvantibus artis vocabulis Latinis et Graecis nobis praesto erat.

In **Latina** lexicis parte copia verborum plerumque in vocabulis classicae (antiquae) Latinitatis consistit, attamen peculiaria dictionis Medii quoque aevi recentiorisque temporis, quae Latinitatem locupletaverunt, pariter inducimur. In vocabularium quoque ecclesiasticae (christianae) Latinitatis undique introducendum, quae antiquis temporibus oriunda usque ad hodiernum diem exstat, curas contulimus. Item in hoc lexico condendo animum – adhuc maximum – in voces locutionesque introducendas (iuridico-politicas, oeconomicas, philosophicas etc.) intendimus, quae nempe in Latinitate Croatica ortae vel peculiari modo usitatae sunt.

Aetatibus vocabula distinguendi facultatem non habuimus, verum tamen verba periodorum classicae et postclassicae (usque ad saec. VI p. Chr. n.) primo loco afferuntur, praeter aliquas elocutiones Latinas medii aevi, quae iam pridem pluribus gentibus communes factae sunt, et voces Graecas (vetustioris vel recentioris originis) internationales.

Item nec libramentum stilisticum solutae orationis ac poeticae elocutionis et multiplicem intra eas straturam elocutionis positam distinguere poteramus.

Cum aliquorum vocabulorum, syntagmatum, elocutionum in lexicis, commentationibus periodicis, textibus tum vetustioribus tum recentissimis, qui nobis praesto fuerunt, nullas auctoritates invenimus eosque nos ipsi novavimus vel cum nova significatione usurpavimus, asterisco* notavimus. Artis voces, quae in Latinitate inveniuntur, eo modo quo traditae sunt recepimus (in eis quoque et vocales Graecarum vocum in paenultimis longae indicantur et adiectiva a nominibus propriis derivata maiusculis litteris incohata sunt).

Orthographia toto in textu regulis, quae in modernis lexicis atque editionibus criticis classicae Latinitatis adhibentur, accommodatur, ita vero ut apud nos *u* consonanticum semper *v*, vocalicum et consonanticum *i* semper et tantum *i* scribantur.

Orthographiae variantes maxima ex parte ad unam, communi vel nostra opinione frequentissimam formam redeimus exceptis raris vocabulis, quae cultus atque humanitatis respiciendo historiam maximi esse momenti putamus.

Quod ad mensuras vocalium et ad accentum attinet, hic atque illic tantum perspicua homographa distinguimus, ut puta *mālum*: *mālum*, *incidere*: *incidere*. Ceterum fines certos terminosque hos duos nobis constituimus: longas indicavimus vocales (quo igitur loco accentu quoque notandae sunt) paenultimas in infinitivis verborum secundae coniugationis et in omnibus vocabulis e Graeco fonte derivatis.

* * * * *

Est quod differat inter lexica unilingua et multilingua in usum scholarum parata et hoc nostrum, quod DEOL nostrum syllabas in verbis columnae originis (exeundi) accentibus

non notat nec praebet insuper utiles informationes de duplicibus pluralis formis nec verbi proprietatibus. Simile principium in peregrinas quoque linguas valet. DEOL nostrum, cum primo loco adiumentum sit encyclopaedicum, informationes quam plurimas in lemmatibus quam plurimis et diversissimis in duas partes versis sibi proponit; cui principio operatorio cetera omnia subiciuntur.

Quam ob causam huiusmodi lexicon multilingue de nulla lingua comprehensa informationes, quae in quoque scholastico libro singularis linguae facile reperitur, afferre solet. Cum apud eos, qui hoc DEOL utuntur, notio elementaris cuiusque linguae peregrinae praesumatur, eius lemmata nec grammaticas nec pronuntiationis peculiare informationes praebent, nisi quae necessariae sunt ex ipsa natura tractationis lexicographicae lemmatum proficiscientium ex lingua exeundi alias linguas versus.

Nullius est peculiaris artis DEOL dictionarium, nec potest hoc esse vel propter statutum verborum numerum in columna exeundi, quae circiter septuaginta milia verborum amplectitur, praesertim nostro tempore non potest, quo singulae disciplinae atque artes iam plus quam centum milia artis elocutionum habent. Consentaneum certe est lexicon nostrum notiones earum artium magis continere, quae usitatiores in cotidiano, litterarum, diurnario sermone sint.

Neglectis vero terminis cum re ipsa coniunctis atque usu peritis DEOL primum et maximum apud nos huius generis est lexicon.

Principalibus vocabulis, nominibus, notionibus, artis elocutionibus et locutionibus systematice dispositis ordinatisque DEOL amplum est enchiridion generis universalis et specialis. Cum eius usus latius pateat, hic liber utile est subsidium tantum nostratibus quantum peregrinis destinatum. Cum lemmata huius lexicum DEOL instructa sint non modo usitatis grammaticalibus generis seu speciei signis, sed etiam necessariis designationibus usus et areae significationis (proficiscendo a fabulari historia et mechanica arte usque ad medicinam et rem politicam), magna comitante verborum frequentia in omni lingua comprehensa, id genus adiumentum lexicographicum *encyclopaedicam* necessario denotat rationem permultaque indicia tam synchronicae quam diachronicae significationis praebet.

Affert ergo hoc DEOL voces et locutiones sermonis cotidiani, linguae litterariae, diurnariae, instrumentorum communicationis socialis, multa denique artis nomina, quae ad sociales disciplinas, disciplinas naturales, artes applicatas pertinent. Itaque omnia strata linguae rationis complectitur.

In hoc dictionario condendo nobis proposuimus, ut esset linguae enchiridion latioris usus, quod certe auxilio fieret variis discendae linguae formis et translationi, non minus in usu scholastico, in litteris, in re diurnaria necessarium quam inter eos et diversos, qui multilinguis informationibus et in nostris et in externis terris utantur.

MODERATORES